7.

✠

DE LOCIS THEOLOGICIS THESES NONNULLAE

SAPIENTIAE DEI INCREATAE,
AETERNO VIDELICET EJUS VERBO,
PER SANCTAM IPSIUS GENITRICEM,
BEATAM VIRGINEM MARIAM
SACRAE:
ATQUE IN REGIA, HISPALENSI SCIENTIARUM
ACADEMIA
KALENDIS OCTOBRIS,
ANNO AB ILLIBATAE VIRGINIS PARTU
M.DCCC.XIX.
VESPERE.

A B. D. GREGORIO MATAMOROS,

D. D. FERDINANDO GONZALEZ, BAÑOS, Arenzana, Sacerdote in eâ Artium Magistro, Sacrae Theologiae Doctore, eorumdemque Locorum explanationi Praefecto,

SUPPETIAS ILLI FERENTE
PRO SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE
TUENDAE.

HISPALI : TYPIS REGIIS.

homine aprehendi neutiquam, vel omnino sciri aliter queant, nisi ex Dei revelantis auctoritate, tum Ecclesiae proponentis, seu declarantis, quae a Deo extant revelata. In his itaque in fidei obsequium intellectus procul dubio est captivandus, nec curiosae inquisitioni relinquendus locus. „Nobis curiositate opus „non est, eleganter ajebat Tertullianus, „(1) Christum Jesum, nec inquisitione „post Evangelium, cum credimus, nihil „desideramus ultra credere. Hoc enim „prius credimus non esse, quod ultra „credere debeamus.“ Scripturam autem, et Traditionem Apostoli Ecclesiae commisserunt, ut utramque fideliter custodiret, ad posteros transmitteret, interpraetaretur, explicaret. Quia verò, Paulo teste: (2) „Oportet et haereses esse“; idemtidem in Ecclesia extitere, qui traditam a Christo, et Apostolis veritatem suis erroribus adulterarunt; adversus quos, ut fidei suae integritatem Ecclesia servaret,

---

(1) Lib. de Praescript. c. 8.
(2) Ep. 1. ad Cor. c. 11.

saepius Episcopos convocare coacta fuit, qui ex Dei verbo, tum Scripto, tum Tradito, quid fidelibus esset amplectendum, proscriptis erroribus, in Synodis definiere. Romanus insuper praelucet Pontifex, Petri succesor, cui Ecclesiae cura, et fidei Depositi custodia praecaeteris concredita venit, cum inter Episcopos Primatum obtineat. Nunquam etiam Divina providentia desiit in Ecclesia doctrina et sanctitate conspicuos excitare viros, qui ad fidelium aedificationem fidei, ac morum dogmata explanarent, suisque illustrarent commentariis, vel ea adversus errores, ac haereses tuerentur : quod peractè Sancti Patres adimplevere. Fuere praeterea Theologi Scholastici, qui ex Sacris litteris, ex Conciliorum, et Summorum Pontificum decretis, ex Patrum scriptis, ex aliisque praecipua, quae ad sacram pertinent doctrinam, capita collegere, atque in ordinem redegere, eademque rationibus firmarunt, illustrarunt, illorum argutias redarguentes, qui aut fidei, aut morum dogmata sophismatibus labefactare sunt aggressi. In fidei, ac Theologiae subsi-

dium vocanda etiam humana Philosophia, et ratio, nonquidem ut domina, et magistra, ad cujus normam, et nutum Religionis capita sint definienda; sed ut ancilla, et serva, quae dominatrici fidei subserviat, non praesit; eam dilucidet, ac defendat, non regat. Plurimum denique ad doctrinam ab Apostolis et Patribus traditam servandam Historia inservit, qua Summorum Pontificum, et Episcoporum in Ecclesia successio, Conciliorum, et Sedis Apostolicae definitiones ac decreta, Haereticorum, haeresumque ortus, et damnatio, resque caeterae in Ecclesia vel Republica gestae recensentur.

Jam verò de istorum natura locorum, vi, proprietatibusque in tot partes, quot eorum tenet numerus, singillatim agemus. Quae omnia, si praecipuis conclusionibus, quoad poterimus, demonstrabimus, erit toti nostro operi satis, superque factum. Utinam perficiamus, ut nostrum adimplentes munus, in nostrae tot titulis insignitae Academiae resiliat ornamentum. Faveat itaque Deus!

CIRCA THEOLOGIAM GENERATIM
PRAELIBANDA.

Theologiam, attenta nominis etymologia, idem ac sermonem de Deo esse, voces graece Deum, et sermonem latino idiomate redditae satis conficiunt. Qui de Deo est sermo, vel solo naturae lumine nititur, vel ex simplici, et nuda revelatione habetur, vel per discursum ex revelatione deducitur. Si primum, sermo ille Theologia nuncupatur naturalis; hujusmodi verò extitit Dei, rerumque Divinarum cognitio imperfecta, quam nonnulli Philosophi gentiles olim compararunt, et nunc etiam comparant Metaphisici. Si secundum, ille de Deo sermo virtus est Theologica, quae fides dicitur; per fidem nempe veritatibus propter Dei auctoritatem revelantis mens adhaeret. Si tertium, idem ille sermo habitus est, qui purè et sine addito Theologia appellatur. Quam rectè ducimus definitam, verbis D. Augustini (1) inhaerentes, eam videlicet disciplinam, „qua fides saluberrima, „quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, „nútritur, defenditur, roboratur." Ipsius objectum, versandave materies Deus ipse est, tum in se, tum ut rerum principium, ac finis est omnium. Et Divinae naturae notitia primarius quasi intuitus; morum autem ad honestatem in beatitudinem institutio, secundarius. Eaque sapientia, et scientiarum omnium est praestantior, dig-

(1) Lib. 14. de Trinitate, c. 1. n. 3.

nior, utilior, et secundum substantiam spectata, toti Ecclesiae absolutè necessaria, licèt non singulis hominibus.

Quanquam speculatrix, et practica Theologia nostra sit, de Deoque universa agat, multifariam esse dicitur, quod multis, variisque modis ipsum rimetur atque consideret; nam praeter recensita; quae credenda proponit, Dogmática. Quae agenda persequitur, Moralis. Quae Pastores animarum efformat, Pastoralis. Quae vero fidei defensores instituit, Polemica vocitatur. Quia in explicandis his omnibus certa methodus valet observari; ideo si in fidei capitibus explanandis, moribus dirigendis, dogmatibusque propugnandis Theologia fusiori, et oratorio stylo procedat, uti Patres consuevêre, Positiva. Si autem Dialecticae ope presso stylo, et certa metodo res fidei, et morum exponantur; Scholastica appellatur Theologia; in qua conclusiones ex revelatis justo ratiocinio deductae, et quae illustrandis fidei dogmatibus lucem afferre possunt, rejectis inutilibus concertationibus, pertractantur. Denique saeculo quinto, postquam libri Sancti Dionisii Areopagitae nomine insigniti, de quorum auctore Critici hodierni jure ac merito dubitant, apparuerunt, nomen Theologiae Symbolicae, et Mysticae primum audiri coepit: illa sacra Symbola, sive notas rerum figurate Divina repraesentantium explicat, et mysteria sub illo figurarum cortice contenta enucleat. Mysticam verò, quae christianae perfectionis regulas tradit, in Deumque affectus movet, appellare consueverunt.

Duo sunt Theologiae principia, ex quibus cuncta oriuntur argumenta; Ratio, et Revelatio: haec primas, illa ultimas partes habet: plura et praestantiora ab auctoritate mutuatur; proprius enim ipsius locus est: huic rationes tanquam hospites et peregrinae accedunt, obsequuntur, atque subserviunt: appositè ad rem ajebat Augustinus: (1) „Quamobrem ipsa quoque ani- » mae medicina, quae Divina Providentia, et in- » fallibili beneficentia geritur, gradatim distinc- » tèque pulcherrima est. Distribuitur enim in » auctoritatem, atque rationem. Auctoritas fidem » flagitat, et rationi praeparat hominem. Ratio » ad intellectum, cogitationemque perducit. Quan- » quam neque auctoritatem ratio penitus desserit, » cum consideratur, cui sit credendum." Et alio in loco: (2) » Nihil in Ecclesia Catholica salu- » brius fieri, quam ut rationem praecedat auc- » toritas." Nec vero inscii sumus, quibusdam sedes illas, sive locos, aut fontes, unde principia Theologica hauriuntur, octo esse numero, partim quinque, nonnullis tres, aliis duo: sed eam hisce partitionibus praeponendam existimamus, quae a Melchiore Cano, Theologo videlicet praestantissimo, est facta: ut decem illi sint fontes: Sacri nempe Libri, Divina Traditio, Ecclesia, Concilia, Apostolica Sedes, Sancti Veteres, Scholae Theologi, Ratio deinde naturae, Philosophi, Historia humana. Quorum priores duo propria, et legitima Theologiae initia complectantur: tres

(1) Lib. de vera Relig. c. 24.
(2) Lib. de Morib. Eccl. catol. c. 25.

postremi externa, et aliena: quinque demum interjecti aut principiorum propriorum interpraetationem, aut eas, quae inde nascuntur, consequutiones respiciant. Jam de illis singulatim agamus.

DE SCRIPTURA SACRA.

Errores innumeri, quos, ut testatur Chrysostomus, (1) de Supremo Ente protulit Philosophia, quae sola nitebatur ratione; alii circa agenda, credenda, assequenda, circa cultum Deo tribuendum, et poenitentiam ei propter noxam praestandam, benemultique alii a praestantissimis viris editi, licet Divino quodam ingenio praeditis, quia tamen illis revelationis lumen non affulsit, ipsiusmet necessitatem adstruunt. Quae revelatio in Veteris et Novi Testamenti libris dubio procul continetur, ut in omni laude dignissimis Ignatii, Polycarpi, Iraenei, Justini, Atenagorae, Tertulliani, Origenis, aliorumque pro Religione Apologiis innumeris hanc veritatem statuentibus argumentis refertis apparet.

Est igitur Scriptura Sacra Dei Verbum ipso afflante Sacris Scriptoribus, ab istisque litteris in Veteris et Novi Testamenti libris consignatum. Qui quidem libri, etsi illorum partitionem in Proto et Deutero-Canonicos non respuamus, septuaginta duo, Concilio Tridentino definiente, hodiedum sunt, omnesque ab Spiritu Sancto inspirati, ut Apostolus Petrus his pro„fitetur verbis: (2) „Spiritu Sancto inspirati lo-

---

(1) Hom. 5. in 1. Ep. ad Cor.
(2) Ep. 2. c. 1. ỷ. 21.

„quuti sunt Sancti Dei Homines." Hinc clarè deducitur, cum Dei sint universa verba in laudatis libris contenta, Divinae atque infallibi„lis auctoritatis esse: „Est enim Deus verax." (1) De quaestione autem illa magno animorum aestu in Scholis agitata an eodem modo omnia, quae in Scripturis habentur, Deus Sacris Scriptoribus inspiraverit, decidere nihil nostra interest, dummodo nec in minimis Sacer Scriptor labi potuerit, nec lapsus fuerit : nam aliàs, „ajente Augustino: (2) „Tota Scripturarum va„cillaret auctoritas, ideoque et fides nostra."

Vetus Testamentum ferè totum Haebraica, Syriaca, Chaldaica linguis proditum fuisse; Novum verò ferè universum Graeco idiomate esse prolatum apud omnes constat; inde nata est quaestio summo conatu versata, nunc originales ejusmodi extent incorrupti : ita extitisse Christi, Apostolorum, Hieronymi, Augustinique temporibus indubium est, Salvatore nostro Judeos ad „scrutandas Scripturas" mittente; quod minime faceret, si illi corrupti fuissent, et Augustino his „verbis confitente : (3) „anne, inquit, credibile „est ipsos codicibus suis voluisse eripere verita„tem, ut nobis eriperent auctoritatem, vel per „totum orbem dispersos potuisse in hoc conspi„rare nullo contradicente?" Postmodum a fidei nostrae inimicis depravatos incredibile judicamus: in eos tamen multa menda irrepsisse compertum

---

(1) Paul. ad Rom. 3. v. 4.
(2) Lib. 1. de Doct. Christ. c. 27.
(3) Lib. 15. de Civ. Dei. c. 13.

est: ideo Vulgatam latinam editionem, quam initio quinti, aut fine quarti saeculi editam conjicimus, magnaque ex parte Hieronymo interpraetanti aut corrigenti adscribimus, in rebus ad fidem et mores pertinentibus amplectimur; ea namque ipsa est, qua utimur, quamque prae innumeris latinis editionibus probavit, utque authenticam Tridentina Synodus declaravit: (1) quin ideo negaverit, nec originalibus concesserit auctoritatem, nec ad illos recurrendum prohibuerit. Aliquos licèt momenti levis errores in vulgata nostra adhuc reperiri nullus ignorat.

Celeberrima ubique terrarum facta est versio Septuaginta ex illorum numero, qui eam conflarunt, sic appellata: ex Hebraeo in Graecum, vel Pentateuchum, vel libros, qui tunc in Hebraeorum canone reperiebantur, circa Ptolomaei Philadelphi AEgypti Regis tempora verterunt, quae quidem omni tempore authentica permansit, etsi quaedam menda in ea inveniantur.

Diversis in linguis ferè innumerae in lucem prodiere Sacrae Scripturae versiones, quae Vulgares nuncupantur: quibus quidem asentiendum, dummodo cum Vulgata conveniant. Quod qui legat, videbit statim, Ecclesiam hos libros ut Canonicos declarasse: equidem jure et merito: ejus tantum munus est: tritissima sunt illa Augustini verba: (2) "Evangelio non crederem, nisi me com»moveret Ecclesiae catolicae auctoritas." Nec ergo ad ipsammet Scripturam, nec ad privatam

---

(1) Sess. 4. cap. 2.

(2) In Ep. fundam. c. 5.

cujusvis opinionem, nec ad testimonium, aut intrinsecam humani spiritus persuasionem, ac suggestionem, nec ad hominis rationem in hoc judicio est adeundum.

Hunc Sacrum codicem, a D. Joanne in Apocalipsi visum septem sigillis signatum, et a Chrysostomo quaestionum abissum appellatum majori ex parte obscuritate plenum esse, adversus Lutheranos, impiè de se praesumentes, statuimus.

Variis sensibus, litterali, hocque in proprium et improprium, seu Metaphoricum diviso; et Mystico, in Tropologicum, seu moralem, Anagogicum, ad Ecclesiam Triunfantem attinentem, et Allegoricum, Militantem nempe spectantem partito Sacram conflari Scripturam pro comperto habemus. Et unamquamque litteram jam unico sensu litterali, jam multiplici; jam et litterali, et mystico, hocque vario posse gaudere, ipsiusmet Scripturae altitudo, et auctoritas exigunt. Ex litterali efficax semper, et firmum desumitur argumentum; cum a Spiritu Sancto directè intentum esse constet; ineluctabile etiam mysticus aliquando suppeditat; dum videlicet a Sacro Scriptore asseritur, aut per Ecclesiam declaratur. Sensus verò accommodatitius propriè Scripturae sensus non est. Sed de illa haec praelibasse sufficiat.

DE TRADITIONIBUS.

Divinas existere Traditiones, quidquid ferè omnes haeretici calumnientur, res est luce meridiana clarior. His antiquos naturae lege Patriarchas,

(1) et Mosis Judeos, (2) et gratiae Christianos, (3) omni argumentorum genere, usos, rectos, ostenditur, maximamque fidem iisdem Traditionibus tribuisse patet. Veteris et Novi Testamenti Scriptura antiquiores fuerunt, ac ita necessariae, ut, ipsis ablatis, benemulta fidei nostrae dogmata his fundata corruant. Quaedam per ipsas tantum habemus, alia quae obscurè in Scripturis ab illis veniunt explicanda; nec Scripturas ipsas absque illis intelligere possemus, nec Di„vinas esse nobis constaret. Insuper, » omnem sa»lutarem veritatem, et morum disciplinam, Con»cilio Tridentino teste, (4) Scripturis contineri, »et sine scripto Traditionibus, quae ipsius Chris»ti ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apos»tolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus »traditae ad nos usque pervenerunt," firmissimum fidei dogma est semper creditum, ac propugnatum, ab eademque Synodo his statutum verbis: »Si quis traditiones praedictas sciens, et prudens „contempserit, anathema sit" : ubi non tantùm eos percellit, qui Traditionum renuunt necessitatem, verùm insuper illos, qui et illarum denegant existentiam.

Regulas ergo, ut Traditiones Divinae et Apostolicae ab Ecclesiasticis secernantur, a praeclarissimo Melchiore Cano, Tertulliani, Augustini-

(1) Gen. c. 18. v. 19.
(2) Deut. c. 32. v. 7.
(3) Ep. ad Thess. c. 2. v. 14
(4) Sess. 4.

que dictis innixo assignatas (1) in medium pro- „ferre operae pretium duximus. »Quod universa »tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed »semper retentum est; nonnisi auctoritate Apos- »tolica traditum certissimè creditur. Quod uni- »versi Patres per temporum succesionem con- »cordissimè tenuerunt, eique contrarium ut hae- »reticum refutarunt, é litteris tamen sacris non »accipitur, per Traditionem Apostolicam dubio »procul recepit Ecclesia. Quidquid nunc in Ec- »clesia communi fidelium consensione existit pro- »batum, quod humana potestas efficere nequi- »vit, id ex Apostolica Traditione necessariò est »derivatum. Si viri Ecclesiastici aliquod dogma, »vel unam quamlibet consuetudinem uno ore tes- »tentur, nos ab Apostolis recepisse, ita credi »debet." Quod ab Apostolis traditum Ecclesiae illae credunt, ubi est integra, et continua ab illis succesio, traditum revera est.

Traditiones hae ab Apostolis Ecclesiae communicatae ab ipsa fidelitèr sunt custoditae; et usque ad consumationem saeculi illibatae custodientur. Quaenam verò Apostolica sit Traditio, judicare ad illam quoque pertinet.

Multiplex Traditio consideranda venit, praeter quam quod in genere sit verbum sine scripto traditum, spectata penes suum Auctorem, alia extat Divina à Deo immediatè revelata, et scripto non tradita : alia vero Apostolica, quae ab Apostolis viva voce, non autem scripto, ad nos derivatur; si hae ab illis veniant ut imme-

---

(1) Lib. 3. c. 4.

diatis Christi preconibus, Apostolico-Divinae audiunt: si autem ab ipsis, ut Ecclesiae Pastoribus, fluunt, Traditiones purè Apostolicae appellantur. Alia est demum Ecclesiastica, quae post Apostolos ab Episcopis fuit introducta, et consuetudine roborata. Ratione vero materiae, alia de fide, alia morum, alia disciplinae. Temporis ratione, perpetuae, et temporariae. Loci, una universalis, altera particularis. Quaedam denique de praecepto, quaedam de consilio. Sed de Traditione satis.

DE ECCLESIA.

In Verbo Dei scripto, et tradito illa quidem continentur, quae credenda nobis Deus revelavit : verùm cum Sacra Scriptura non ubique clara sit, sed interprete, et in controversiis circa fidem obortis judice indigeat; cumque Traditiones Divinas à falsis discernere cuilibet pro suo nutu non competat, nisi tot Religiones, quot capita admittere velimus; sapientissimo Divini Numinis consilio factum est, ut nobis de hoc Interprete, et Judice provideret, qui et obscura Sacrae Scripturae explicet, et veras Traditiones à falsis secernat, et Divinas veritates revelatas nobis credendas proponat. Hic Interpres, hic Judex à Deo est constitutus vera Christi Ecclesia. Quae, praetermissa ejus etymologia, recte cum Bellarmino deffinitur : »Societas fidelium »baptizatorum, ejusdem fidei professione, eorun»dem Sacramentorum participatione, et eodem »cultu inter se adunatorum, sub regimine legi»timorum Pastorum ac praecipuè unius Christi

„in terris Vicarii, Romani Pontificis." Ecce criterium, quo Ecclesiae membra dignoscantur. Itaque, qui baptizati adhuc non extant, veluti infideles publici, et catecumeni; qui à fide etiam publicè deviarunt, ut haeretici manifesti; qui iisdem Sacramentis non participant, sicut excomunicati; qui obedientiam legitimis Pastoribus denegant, ut schismatici; nullomodò inter Ecclesiae membra adnotandi veniunt. E contra verò, qui aliquando aeternos patientur cruciatus, qui venialibus, aut lethalibus immiscentur culpis, dummodò baptisma acceperint; externè fidem profiteantur; iisdem communicent Sacramentis; legitimisque subjiciantur Pastoribus, membra Ecclesiae revera extant; ista namque, Augustino testante, (1) est velut quoddam corpus vivum, in quo anima est, et corpus; et quidem illam interna Spiritus Sancti dona, fides, spes et charitas constituunt; corpus autem externa fidei professio, et Sacramentorum communicatio. Ex quibus recte colligitur, aliquos ad animam et corpus spectare, alios verò ad istud tantùm; hocque solummodò sufficere, ut illius corporis membra nuncupentur, sicut humani quaedam sunt membra, licet non viva. Procul abeant Wiclephitae, Husitae, Pelagiani, Donatistae, Catari, Lutherani praecipui, aliaeque hujus generis pestes, metaphoris à Christo usurpatis, ut Ecclesiam denotaret, convicti: Parabolae namque ipsae Retis, Agri, Virginum, aliaeque innumerae illos non excludunt, sicuti in rete boni et ma-

(1) In Breb. Collation. Collat. 3.

li pisces continentur, usque quoad littus deveniatur: palea similiter in area cum tritico est conjuncta, donec ventilandi tempus accedat: in agro zizania tritico usque ad messem commiscetur: virgines denique fatuae cum prudentibus usque ad Sponsi adventum simul habitant; ubi et Patres, et Interpretes, et Theologicae rationes reprobos, peccatores, et imperfectos in Ecclesia contineri satis indicant.

Cum extra Jesu Christi Ecclesiam non sit salus: „Neque enim, teste Apostolo Petro, aliud „nomen datum est sub Coelo hominibus, in quo „oporteat, nos salvos fieri": manifestè deducitur, illam conspicuam esse debere, ut cuicumque ingredi volenti pateat aditus. „Ecclesia quidem, inquiebat eleganter D. Cyprianus, Domini luce perfussa per orbem totum radios suos „porrigit." Cumque qui tam in credendis, quam in agendis erroribus deciperentur, neutiquam in salutis portum permeare valerent; clarè inde patet Ecclesiae indefectibilitas usque ad finem saeculi duratura in existendo, in credendo, in docendo; illi enim hoc Dominus per Oseam promisserat: (1) „Et sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in justitia, et in judicio.... et sponsabo te mihi in fide, et scies, quia „ego Dominus." Ecclesia ergo est, nec peribit in aeternum, renuant licèt illi, qui intra eam non sunt. Quae quidem in docendo infallibilitas ad Sanctorum beatificationem, et canonizationem, et ad facta dogmatica vocata, id est, si-

---

(1) C. 2. v. 19.

mul cum dogmate conjuncta, Jansenistis contradicentibus, rectè extendi debet, suoque judicio mentis et animi adhaesione, non verò solo religioso silentio, adquiescere tenêmur. Illa insuper vel dispersa, hoc est, in suis Pastoribus separatim degentibus considerata, vel in Conciliis Generalibus coadunata, doctrinis assignatis, errare non valet; promissiones enim à suo Sponso ipsi factae hoc mirabiliter conficiunt: „Cum venerit Sion Redemptor..... ait Isaïas, (1) hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus „meus, qui est in te, et verba mea, quae posui „in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de „ore seminis tui amodò, et usque in sempiter„num." Quin Haereticorum cavillationes adversus ejus indefectibilem auctoritatem obstent.

„Haereticis omnibus hoc gentile est, inquit „Canus, (2) simul atque sese Ecclesiae auctorita„te urgeri vident, aut illam spernere, aut Ec„clesiae rem ad se nomenque transferre et eam „in illis esse negare, in quibus revera est" : ideo assignandae necessariò veniunt notae quaedam, quibus vera Christi Ecclesia à falsis distinguatur; hae nullae aliae sunt, nisi quas Synodus Constantinopolitana enumerat : „Una, Sancta, „Catholica, et Apostolica" : quae quidem sic Romanae Ecclesiae congruunt, ut immeritò Protestantium coetibus tribuantur : „Christus, ait „S. Optatus Milevitanus, (3) Sponsus est unius

(1) C. 59. v. 20. et seq.
(2) Lib. 4. c. 1.
(3) Lib. 1. ante Medium.

„Ecclesiae, sicut in Canticis Canticorum „ipse tes-„tatur: qui cum unam laudat, coeteras damnat."

Cum hucusque de Christi Ecclesia propriè dicta simus loquuti, circa ejus Auctorem, et antiquitatem quidquam proferre noluimus. Veruintamen, ne in hoc noxam aliquis nobis imputet, animadvertere opus est: Deum illius Auctorem fuisse independentiae, et supremae auctoritatis potestate; solùm verò Christum excellentiae et ministerii principalis facultate: „Attendi-„te vobis, inquit Apostolus, (1) et universo gre-„gi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episco-„pos regere Ecclesiam Dei." Et ipsemet Paulus alterum alió statuit loco: (2) „Adspicientes in „Auctorem fidei, et Consummatorem Jesum, qui „proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confu-„sione contempta." Lato etiam sensu Ecclesiam non tantùm Christi natalem antecessisse sed insuper ita legis naturae, et scriptae temporibus floruisse, ut tunc Christianae Religionis cultores extitissent, Eusebius testis est, ait enim: (3) „Sec-„tam tamen, rationemque vivendi non recenter „à nobis compositam, sed jam inde à primo con-„ditu generis humani...... ab hominibus Deo ac-„ceptis institutam, atque excultam fuisse." Tanquam probabilius cum Honorato Tournelyo (4) Ecclesiam, sensu exposito; ab Abele initium sumpsisse propugnamus. Verùm de ejus stricto

(1) Act. c. 20. v. 28.
(2) Ad Haebr. c. 12. v. 2.
(3) L. 1. Hist. c. 4.
(4) L. 5. Art. 3.

sensu acceptae antiquitate si sermo fuerit, Salvatorem nostrum eam instituisse; ab illius praedicationis tempore simul cum Synagoga viguisse; in ejus morte, illa abrogata, hanc invaluisse; factaque per orbem novae legis promulgatione, omnes obstrinxisse cum Augustino (1) tuemur. Sed de Ecclesia sufficiat. Ad Concilia properemus.

DE CONCILIIS.

Quartus sequitur Theologiae Locus, quem Ecclesiastica diximus esse Concilia. Est autem Concilium, vel Synodus Sacerdotum maximè Episcoporum in locum aliquem, ut de rebus Religionem spectantibus agant, convocatio. Probabile admodum est, Concilia Divinae existere institutionis: ex Apostolorum enim Actis jam ab ipsis Ecclesiae crepundiis Concilia ab illis fuisse celebrata constat: (2) Istos verò aut ex Christi praecepto, aut speciali Spiritus Sancti motione illa convocasse est verosimillimum. Quatuor Synodorum genera passim distinguuntur: Generales, Nationales, Provinciales, Dioecesanae. Ex primis viginti duae legitimae in Ecclesia sunt habitae. (3) Generale namque Concilium intelligitur, ad quod omnes Ecclesiae universae Episcopi fuerint vocati, et quaedam istorum pars, quae illam representet, in eo adsistat. Horum, libertate quidem gaudentium, decreta, quae à Roma-

(1) Ep. 19. ad Hieronim.
(2) C. 1. 6. et 15.
(3) Schram tom. 1. Instit. Theol. §. 23. schol. 3.

no Pontifice, non verò tantùm à suis Legatis, sint approbata, Spiritu Sancto illis adsistente sunt effecta; propterea que in fide, et moribus infallibilia : meritò namque ajunt Patres, quod et Apostoli: (1) „Visum est Spiritui Sancto, et nobis." Deinceps haec decreta absque Summi Pontificis assensu robore carere praecipua Concilia testata sunt, ut inter alia Nicoenum primum ad Sylvestrum Papam his verbis : (2) „Quidquid constituimus, precamur, ut vestri oris „consortio CONFIRMETUR." Ad quod quidem Sylvester rescribens : „Confirmo, inquit, figoque ad doctrinam vestram reclamantes de Uni„tate Trinitatis." Patres Concilii Chalcedonensis idem profitentur : (3) „Omnem, inquiunt, vo„bis gestorum vim insinuavimus ad comproba„tionem nostrae sinceritatis, et ad eorum, quae „à nobis gesta sunt, FIRMITATEM, ET CON„SONANTIAM." Et Leo M. ad quem haec sunt directa, sic illis respondet: (4) „Ne ergo dubi„tabile videatur, ùtrum quae per unanimitatem „vestram de fide statuta sunt; approbem &c." Scriptura tamen Sacra minime sunt : „Magna „enim conquisitio in illis facta est," ut quaelibet res decideretur, qua certè Canonici Auctores neutiquam indiguêre.

Concilium autem Generale indicere, solius Summi Pontificis jure Divino est, quemad-

(1) Act. c. 15.
(2) Ep. ad illum.
(3) Ep. ad Leon.
(4) Ep. ad Conc. Chalced.

modum ipsi praesidere, nullumque legitimum extat Concilium, quod ab illis expressè, vel tacitè consentientibus non sit convocatum; id enim Capitis in Ecclesia Supremi munus exigit. Jure etiam Divino Episcopi tantùm ut ut Apostolorum successores, decisiva suffragia in illis habent, Conciliorumque soli judices sunt, cum namque monachi et laici in Synodo Chalcedonensi jam laudata ingressi fuissent, clamarunt Patres: „Mitte „foras superfluos, Concilium enim Episcoporum est.“ Id insuper et Nicoeni et Chalcedonensis allata verba conficiunt : „ Quidquid constitui„mus“ &c. „ Quae à nobis gesta sunt“ &c. Ex privilegiis tamen id ipsum Abbatibus, Ordinum Religiosorum Generalibus, et Cardinalibus est concessum. Princeps autem saecularis solùm advocatiae, seu externae protectionis jus exercet, quin aliud sibi meritò abrogare valeat. Omni memoria digna sunt Constantini M. verba ad *Nicoeni Concilii Patres, ab Eusebio relata :* (1) „Vos quidem in his, quae intra Ecclesiam, ego „verò in iis, quae EXTRA GERUNTUR, Epis„copus à Deo sunt constitutus.“ Theologi siquidem ut merè consultores assistunt.

Huc referenda est illa multo tempore agitata quaestio de Concilii supra Pontificem auctoritate, quam post Calvinum, diversa tamen adducti ratione, alii pro virili parte tenuerunt: nos verò cum Duvaillio Parisiensis Universitatis Doctore (2) asseveramus: „Opinionem de prela-

---

(1) Lib. 4. de vita Constant. c. 24.

(2) De sup. Rom. Pont. post, p. 4. q. 7.

„tione Conciliorum auctoritati Romani Pontificis
„à temeritate inobedientiae vix posse excusari;
„fovet enim, ut plurimùm inobedientiam, et dis-
„sidia multa, magnosque tumultus semper in Ec-
„clesia excitavit"; proptereaque duximus res-
puendam.

Generalia celebrari Concilia utilissimum, et licèt non absolutè, quodammodò necessarium ex causis, quibus convocata sunt, liquet. Neque omnia, quae in Conciliis habentur, fidei sunt decreta; alia obitèr, praeter institutum, explicandi, vel ornatus causa in illis continentur, aliter alia, quae qui sancita judicet, caecutit, allucinatur. Quaecumque autem varia, et diversa pro temporum, et locorum varietate ab Ecclesia generalis statuatur, disciplina, haec sedulò observanda. Quin et Conciliorum non ea mens usquam fuit, ut salutaribus alicujus Regionis, vel Provinciae institutis, privilegiis, aut inveteratis consuetudinibus nova velint decreta opponere, sed contemperari. Synodorum Generalium legibus, omnes, Nationis, Provinciae, Dioecesis, subditi tenentur obedire.

Particularia quoque Concilia, quae Ecclesiae Summus Pontifex approbaverit, in fide et moribus erroris sunt immunia; non approbata, si tamen non rejecta, etsi certam fidem non faciunt, valde probabilem. Nationalia convocare, et praesidere Patriarchae, vel Primatis; Provincialia verò Archiepiscopi; Dioecesana denique Episcopi munus est.

DE SUMMO PONTIFICE.

Caput Ecclesiae principale Christus est, quod post suum in Coelum ascensum etiam remanet, ita ut in hoc munere in terris successorem non agnoscat. Hic enim ita in alterius succedit locum, ut alter non amplius retineat potestatem, qua antea fungebatur : Redemptor vero noster dum corporalem suam praesentiam Ecclesiae subtraxit, eandem conservat potestatem : manet ergo adhuc caput Ecclesiae primarium. Et quidem dum in hac vita degeret, ejus caput visibile fuit, cum eam manifestè rexerit : nunc autem in Coelis existens caput ejus est invisibile, per internum gratiae influxum illam gubernans; visibiliter vero per suum in terris Vicarium, qui loco sui jam absentis visibili praeest Ecclesiae. Hoc caput à Christo D. Petrus unice fuit constitutus, qui proinde ab illo jurisdictionis et honoris tum supra Apostolos, tum supra caeteros Fideles primatum accepit, et qui ipsi in Romana Sede succedunt, Pontifices Romani. Porro adversarii, id est, Haeretici cum in aliis fere dogmatibus inter se, dissentiant, in hoc tamen omnes conveniunt, ut videlicet totis viribus, summaque animi contentione Romani Pontificis sedem oppugnent; nulli fuerunt hostes Christi atque Ecclesiae, qui simul contra hanc sedem bellum non gesserint. Ast cum ex Sacris litteris, et constantissima Ecclesiae Traditione satis, superque de hac potestativa Petri, ejusque Succesorum praeeminentia constet, hinc nervos om-

nes intendere debemus, ut adversus Ecclesiae inimicos pro veritate pugnemus. Ad primum quod attinet, unum, aut alterum audietis fundamentum: »Negare, inquit D. Optatus, non »potest, scire te in urbe Roma Petro primò Ca»thedram Episcopalem esse collatam, in qua se»derit OMNIUM APOSTOLORUM CAPUT PE»TRUS." (1) „Inter beatissimos Apostolos, ajebat »Leo M. in similitudine honoris fuit quaedam »discretio potestatis, et cum omnium par esset »electio, uni tamen datum est, ut caeteris prae»emineret." (2) Hancce verò potestatem in Romanos Episcopos transiisse praeter innumeros testis est Ireneus, (3) qui sic se expedit: » Maxi»ma, et antiquissima, et omnibus cognita... Ro»mana fundata et constituta est Ecclesia. Ad »hanc enim Ecclesiam propter potentiorem prin»cipalitatem necesse est omnem convenire Ec»clesiam, hoc est, eos qui sunt undique fide»les, in qua semper ab his, qui sunt undi»que, conservata est ea, quae est ab Apostolis »Traditio." Petrus Ecclesiae universalis Pastor institutus fuit, cujus successor Romanus Episcopus procul dubio est. „D. Petrum Apostolorum „Principem post Episcopatum Ecclesiae Antio„chensis, et praedicationem dispersionis eorum, „qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Ga„latia, Capadocia, Asia, et Bythinia, anno Clau„dii Imperatoris secundo, Romam perrexisse, ibi-

(1) Lib. 2.
(2) Ep. 84.
(3) Lib. 3. adv. Haeres.

„que viginti quinque annis Cathedram Sacer-„dotalem tenuisse, vitamque cum morte commu-„tasse, ejusdemque Cathedrae successores tanquam „suos reliquisse" : de viris illustribus Hieronymus auctor est. Romanus itaque Episcopus cum sit ille, qui Petro in Pontificatu successit, jure et merito in omnibus illi à Christo concessis praerogativis successit. Ideo Romana Sedes caeteris Ecclesiis dignitate et auctoritate praeeminet, atque nunquam esse desinet, nec qui in ea residet, à fide, dum ex Cathedra loquitur defecit, nec deficiet, ut experientia, et graviorum testium sententiis est compertum. Unum tantum ex illis proferam, scilicet D. Agatonem, qui in sua epistola ad Constantinum Imperatorem, quae lecta et recepta sexta Synodo Generali apparet, totus est, ut conficiat : „ Haec est, inquit, ve-„rae fidei regula quam et in prosperis, et in ad-„versis vivaciter tenuit Apostolica Christi Eccle-„sia, quae per Dei gratiam à tramite Aposto-„licae Traditionis nunquam errasse probatur, nec „Haereticis novitatibus unquam depravata sub-„cubuit, quia dictum est Petro : Simon, Simon, „ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut „triticum, Ego autem rogavi pro te, ut non de-„ficiat fides tua, et tu aliquando conversus con-„firma fratres tuos. Hic Dominus fidem Petri „non defecturam promissit, et confirmare eum „fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pon-„tifices meae exiguitatis praedecessores confiden-„ter fecisse, semper cunctis est agnitum." Fabulis ergo amandandae omnes toties decantatae Pontificum defectiones, tanquam inventa prorsus de-

liramentis plena, ab Haereticis, aliisque illorum infensissimis hostibus profecta : sicut etiam impudentissimum Anti-Christi nomen à Calvino, aliisque pestibus Summo Pontifici vaferrimè tributum. Sciant ergo, licet aegrè ferant, Christi Vicarium, Petrique succesorem, Romanum Pontificem nunquam in fidei, morum, facti dogmatici, et Sanctorum Canonizationis judiciis à veritate deviasse, nec deviaturum esse.

Ad Romanum etiam Pontificem ex universo orbe oppressorum recursus; ipsi factae in dubiis sive doctrinae sive disciplinae iteratae consultationes; graviorum causarum, ante et post factum in Provinciis judicium, relatio ejus supremae jurisdictionis, et potestatis testimonia sunt apertissima; illis et leges condit, et canones exequitur, et ad eos reliquos in Episcopatu fratres cogit, judicat, sontes punit, omnesque Religionis controversias dirimit, et universa Primatus ejus munera exercet; ut semper, omnique aevo factum, et in Ecclesia est receptum, sicut cuique Ecclesiasticam historiam consulenti apparebit. Denique quidquid in suis Dioecesibus Episcopi singuli, in omni Ecclesia Summus Pontifex potest. Jure quoque sibi quaedam reservare valuit.

Attamen licet regimen Ecclesiae, ex dictis pateat, esse Monarchicum, cum in illo aliquis existat Superior, Romanus videlicet Pontifex, cui omnes parere teneantur; Aristocratia videtur temperatum. Nam etsi Episcopi illi debeant obedire: in suis Episcopatibus imperantes veri Ecclesiae Principes, et non illius Vicarii existunt; qui insuper in Conciliis fidei sunt judices, immo etiam

ante Papam, judicio autem isti subordinato; et post illum extra Synodos, sed adhaesionis sententia, de fidei causis judicare queunt. Ideo opinionem illam, Episcopos suam jurisdictionem à Petri Successore, non vero à Christo immediatè accepisse asseverantem, velut Domini verbis minus consonam rejicimus: ait enim ille ad omnes Apostolos, suosque successores: (1) „Sicut „misit me vivens Pater, et Ego mitto vos."

DE SANCTIS ECCLESIAE PATRIBUS.

Sextus Theologiae Locus Sanctorum Patrum auctoritas est, qui habitae fidei testes puram ad nos transmissere doctrinam. Hinc quoties novi exorti sunt Haeretici, ad eos confutandos Episcopi suorum Praedecessorum opponebant suffragia: „In ipsa enim Catholica Ecclesia, inquit „Vincentius Lirinensis, (2) magnoperè curandum „est, ut id teneamus quod ubique, quod sem„per, quod ab omnibus creditum est." Istorum auctoritatem, quam Haeretici, praesertim Lutherani, enervare nituntur, sancire et firmare nitamur. Patris enim Ecclesiae nomine is intelligitur, quem ob doctrinae praestantiam, vitae sanctitatem, vetustatemque convenientem Patrem Ecclesia ipsa suum tacitè vel expressè agnoscit. Ast horum quidem auctoritas pro rerum, de quibus scripsere, pro eorundemque, sive paucorum, sive multorum diversitate varia ipsa est. In Sa-

---

(1) Joan. c. 20.
(2) In Commonitorio c. 3.

crarum expositione litterarum unanimis illorum consensus, quoad fidei, et morum dogmata, quippe qui Sancti ipsius Spiritus sensus sit, argumentum praebet firmissimum. Sic Tridentinum decrevit Concilium : (1) „Ut nemo prudentiae „suae innixus in rebus fidei et morum ad aedi„ficationem doctrinae Christianae pertinentium „Sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, „aut contra eum sensum, quem tenuit, et tenet „Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra una„nimem consensum Patrum ipsam Scripturam „Sacram interpretari audeat." Quod omnes simul Sancti Patres unanimi consensu tanquam fidei dogma tradiderunt, id amplectendum. Quam circa rem iterum audiatur Lirinensis : „Necesse „est, ait, omnibus catholicis qui sese Ecclesiae „legitimos filios probare student, ut Sanctorum „Patrum fidei inhaereant, adglutinentur, immo„riantur : profanas vero novitates detestentur, „horrescant, persequantur. Concilio enim Ephae„sino divinitùs placuit, nihil aliud posteris cre„dendum decernere, nisi quod sacra sibi con„sentiens Sanctorum Patrum tenuisset auctori„tas." Unius, aut duorum Patrum etiam in his, quae ad doctrinam fidei attinent, effatum fidem facere probabilem potest, certam vero non valet; ideo contemnere impudentia : pro certo vero suscipere, imprudentia profectò esset; sicut omni laudes superior Vincentius peraptè ad rem loquitur : „Quidquid non unum, aut duos tan„tum, sed omnes pariter uno, eodemque consen-

(1) Sess. 4.

„su, apertè, frequenter, perseveranter tenuisse, „scripsisse, docuisse cognoverit : id sibi quoque „intelligat, absque dubitatione credendum." Omnium etiam consensus in eo genere quaestionum Theologicarum, quae fidem et mores non spectant, non certitudinem sed probabilitatem inducit. Quod quidem pro se testem idoneum, satis et gravem Lirinensem habet ajentem: (1) „Antiqua Sanctorum Patrum consensio non in „omnibus Divinae Legis quaestiunculis, sed so„lum in fidei regula magno nobis studio et in„vestiganda est, et sequenda." Plurium auctoritas certa, ac firma Theologo praestare non valet, si reliqui, licet, pauciores, reclament : nisi fortè horum sententiam reprobarit Ecclesia, aut illorum probaverit. Quod ex eo ferè omnium judicio Patrum efficitur, quod asserit, mundi hujus partes non eodem die omnes, sed multis editas, ornatasque fuisse, Augustino contra sentiente; cujus opinio ut probabilis in Ecclesia semper est habita. Patrum denique, sive multorum, sive paucorum dicta in scientiis naturae lumine cognitis certa argumenta praestare non valent, sed tanti facienda, quanti ratio naturae consentanea persuasserit. In his enim rebus non auctoritas, sed ratio dux, et magistra revera est. Qui insuper plura de hoc Loco desideret, emeritum Bonaventurae Argonensis de optima legendorum Patrum methodo librum adeat. Neque enim fas est, ut in his nos amplius immoremur.

---

(1) Lib. adv. profan. novationes.

DE DOCTORUM SCHOLASTICORUM AUCTORITATE.

Hanc juniores contemnunt Haeretici, explodunt, exsibilant, maximè Lutherani, quorum haereses ab hoc fortasse fonte manarunt. Nam Scholae Theologis despectis, Patres, quos Schola sequitur praeceptores, neglexere; post Sanctos Veteres, Concilia; post ista Ecclesiam, Canonicosque libros aliquos ab illa ex Traditione receptos mirificè contempsere. Adeo verum est illud: „Qui spernit minima, paulatim decidet." Nos autem contrà magni faciamus Scholam, ejus et placita suscipientes, et Theologos auscultantes. Sed ut certa procedamus methodo, aliquid de Scholasticae Theologiae origine loquamur.

Licet priscis temporibus non prorsus defuerint Systemata, licet imperfecta, Theologica: primus tamen, qui dogmata sacra in unum corpus coegit, remque Theologicam via et ratione, longeque commodiori ordine tradere coepit, saeculo octavo apud Graecos, tum in tribus Parallelorum libris, tum praecipue in quatuor Ortodoxae fidei, Joannes fuit Damascenus. In Occidente nonnisi sub finem saeculi undecimi Scholastica se prodidit per D. Anselmum, cujus libri eo ordine dispositi, quos eos P. Gerberonius digessit, Theologiae Scholasticae corpus sat justum exhibent. Saeculo vero duodecimo etiam nonnulli apud Latinos dogmata Theologica ex Sacra Scriptura, Patrum scriptis, Conciliorum decretis collegere, atque certo ordine, et singu-

lari methodo elaboraverunt: unde nata est nova Theologiam docendi ratio; quae, quia in Scholis recipiebatur, Scholasticae Theologiae nomen obtinuit. Sic se gessit inter alios Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, cujus quatuor libri sententiarum extant, ideo earum Magister appellatus: hic tam apud Theologos celebratus fuit, ut in nullum, post Scripturam Sacram, plures commentatores extiterint. Attamen, cum tot commentaria in Magistrum scriberentur, sensim est factum, ut Theologia Scholastica, quae priùs quaedam sententiarum collectio, et ordinatio solum erat, accedentibus Theologorum animadversionibus, et disceptationibus, plurimum cresceret, eique ex Dialectica ac Aristotelis Metaphysica non pauca miscerentur. Ast in meliorem ordinem digesta sunt, quae perturbatè satis Magister collegerat. Hoc prae caeteris praestitit D. Thomas decimo tertio saeculo edita Summa, quae aliorum ipsius librorum veluti compendium est, et specimen ingenii, adeo ut Scholasticae Theologiae princeps jure ac merito sit veneratus. A saeculi decimi sexti dimidio superioribus deformatam, ac deturpatam Scholae Theologiam etiam instaurare conati sunt doctissimi illi, saeculorum memoria digni, Bellarminus, Perronius, Petavius, Natalis Alexander, Tournelyus, coeteri tandem praeclarissimi, inter quos Hispanos nonnullos scitis recensendos. Sed quem ego Scholae Theologum appellabo? Eumne, qui inutilia, Theologiaeque indigna disserat, aut utilia quidem et digna per sese non tamen Theologicis, gravibusque momentis, sed vanis, imbecillibusque ratiun-

culis? Absit. Eumne igitur, qui quasi discordiae natus, partium studiis ducitur, tuncque optimum se gessisse Theologum judicat, cum suae sectae addictus adversus aliarum digladiatus fuerit alumnos? Minime gentium. Eum porro Scholasticum habeo et dico Theologum, qui de Deo, Divinisque rebus ex revelatione, scilicet Dei verbo tum scripto, tum tradito aptè, prudenter, doctèque disserat.

Scholae Theologia, quemadmodum à multis vitiis purgata tractatur, neque ignorantia veritatis est, nec inanis fallacia; nec Academiae Anti-Christi lupanaria, nec Lutetiae nata, nec profana Scholastica est, qua admissa, Evangelium obscuratum, et fides sit extincta, ut Lutherus Wiclefum imitatus, et Philipus Melancton mentiuntur. Ad horum, et similium cavillationes, et argutias eliminandas maximè utilem Scholae Theologiam vel ipsorum in eam odium, sibila, et probra satis ostendunt. Horum, de quibus in praesentiarum agimus, etiam multorum testimonium, si alii contrà pugnent viri docti, ad faciendam fidem non plus valet, quàm vel ipsorum ratio, vel gravior auctoritas comprobaverit: non enim haec numero, sed pondere judicantur. Ex illorum verò omnium sententia, in re quidem gravi usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari temerarium sit, in quavis enim arte peritis credendum naturae ipsa ratio commonstrat. Concordem Scholae Theologorum de fide, aut moribus sententiam contradicere haeresi proximum: placitum quippe istorum nullum in iis rebus reperitur, quod Ecclesia, ip-

eorum auctoritate mota, non teneat, non probet, non firmet.

Nec perfectum denique, absolutumque Theologum, nec suis numeris sufficienter instructum, qui Canonum scientia careat, Pontificum, et Conciliorum decreta personant passim. De juris autem Pontificii Prudentibus, hoc intelligi volumus : omnium auctoritatem in his, quae ipsorum propria sunt, magni esse faciendam, si quando circa ejusmodi res quaestio incidat.

DE RATIONE NATURALI.

Auctoritatis loca, quae Theologiae propria esse diximus, ea alia sequuntur, quae ad rationem attinent naturalem, impropriaque nominantur. Ex quibus ipsa naturae ratio primus est Locus, isque satis et fecundus, et utilis, siquidem prout expedit, à Theologis usurpetur. In eo autem vitandi duo sunt errores extremi: eorum scilicet unus, qui rationibus, potiusve ratiunculis, syllogismisque contenti sic disputant, et scribunt, ut neque Scripturam, nec Concilia, nec Patres, nec reliquos internos, ac praecipuos Theologiae locos legisse, nosseve videantur: „non enim decet Theologos, qui gravissi„mis rebus, et maxime necessariis sunt occupati, „Philosophiae studiis, plusquam par est, impediri." (1) Alter contra illorum est error, qui sacris contenti litteris, aut etiam Patribus, non aliter argumentis naturae ratione innixis abhor-

(1) Obstraet. dissert. 10. de Loc. Theolog.

rent, ac si Theologiae adversa illa essent ac inimica. Cujusmodi praecaeteris sunt Lutherani; quorum dux Lutherus non Philosophiam modo, sed speculativas, reliquasque disciplinas errores esse, Theologoque inutiles et noxias petulanter asseveravit. Ast Theologia rationem humanam non abjicit, sed suscipit, et amplectitur. „Verum enim vero neutiquam opponitur;" ad rem Lateranense Concilium adversus Pomponantium inquiebat. (1) Fidei dogmata rationem non evertunt, sed superant : non eliminant, sed subjiciunt : ideoque etsi non ut dominam, tamen ut ancillam recipiunt.

Perutilem, immò necessariam Theologo ad plurima naturae rationem existere quisque agnoscet, qui ea, circa quae ille versatur, expendat. Id etiam Patrum exemplo sapientiorum, et antiquiorum comprobatur : id Apostolorum factis, qui naturae rationibus exteros ad fidem adduxerunt, (2) confirmarunt fratres, (3) invitarunt dociles, repulerunt repugnantes. (4) Dominus denique ipse Jesus illâ est Saducaeis argumentatus. (5)

Sed in rationis, quoad Theologiam attinet, usu vitia duo, vel ab ipso Cicerone reprehensa, cavenda sunt maximè. Unum, ne incognita pro cognitis, incerta pro certis, exploratisque habea-

---

(1) Sess. 8.
(2) Act. 1. 3. 13.
(3) Hieron. in 8. Math.
(4) Joan. 9.
(5) Math. 12.

mus. Qua in re multum peccare multi solent, non aliter pro Thomae, Scoti, aliorumve opinionibus vel indiscussis, pugnantes, ac prae aris ipsis et focis. Alterum, ne inutilia tractentur, ut ab iis est factum, qui longo de rebus illis disseruere sermone, quae nec portare juvenes, nec ferre senes valent : uno verbo, quaestiones vanas, obscuras, philosophandi barbarum aliquando usitatum genus, quaestionum monstra, verborum spectra, quae Pseudo-Scholastici adamant, declinemus. Itaque cum ex certis, exploratisque principiis certò, evidenterque ratiocinemur, firmum : cum ex probabilibus tantùm probabile naturae ratio praestabit argumentum.

DE PHILOSOPHORUM AUCTORITATE.

Non barbâ tenus, et pallio, sed egregios doctrinâ Philosophos inquirere Theologi munus est. Per magni enim habendi sunt veri Philosophi, ut eos Patres Hieronymus, Epiphanius, aliique habuerunt. Ex his quidam gravissimi etiam fuere Philosophi, sicut Justinus, Basilius &c. Et etiam multi Philosophorum dictis passim usi fuere, ut plurimorum scripta Patrum legenti apparebit. Paulus insuper Apostolus Arati, Euripidis, Epimenidis verbis uti non dedignatur. (1)

Philosophorum omnium una, eademque consensio philosophici dogmatis certam efformat fidem. Si enim tantùm eorum auctoritas, qui artes alias profitentur, apud homines valet, ut in-

(1) Ep. 1. ad Cor. et ad Titum.

de non nisi temerè recedi soleat, multò id magis valere in Philosophorum unanimitate debet. Sed dum isti discrepant, Theologo magna cura est adhibenda, ut nulli Philosophorum sectae alligetur: tunc non auctoritas, sed ratio vincat. Ecclecticam tamen philosophandi rationem, quae caeteris omnibus suâ ipsius naturâ praestat, à Theologis existimamus amplectendam.

Quoniam autem civile jus à naturae ratione, dum rectum est, proficiscitur, atque Philosophiae est conjunctum, á Theologo nullo modo judicamus esse alienum : immò magnam utilitatem ei, praesertim in moralibus, praestat, et plura alia argumenta probabilissima suppeditat : quippe in legibus etiam humanis Divinam voluntatem veneramur.

DE HISTORIA HUMANA.

Ille Theologiae restat Locus, quem postremum constituimus reliquorum, Historiae videlicet humanae auctoritas. Hujus notitiam non perutilem modò, verum etiam quantum historicis rebus opus sit, Theologum esse versatum, vel illi abundè magno sunt argumento, qui ejus ignoratione in varios prolapsi fuere errores, testis est locupletissimus D. Augustinus, qui ostendit, (1) nonnullos circa Scripturam errasse, eo quod ad historiae cognitionem illis aditus non pateret. Nec mirum : cum teste Cicerone, Historia magistra vitae sit, et lux veritatis. Ut autem quisque probè dignoscat, quantum auctoritatis humanae His-

(1) Lib. de Doct. Christ. 2. c. 28.

toriae sit tribuendum, tres, qui sequuntur Canones, praescribuntur. Primus esto ille : historicus, sacris exceptis, certus esse nullus potest: id est, eorum nemo unus certam in Theologia fidem facere valet. Est enim homo humanitus scribens, qui propterea et falli, et fallere potuit. Alter : historicorum, modo multi sint illi, et graves, nec perrara, et incredibilia narrent, auctoritas probabile satis Theologo suppeditat argumentum. Non enim est hominis benè instituti, et ad vitam humanam rectè confirmati viris fidedignis, quidpiam asserentibus credibile, minimè credere. Tertius : historicorum omnium in unum, idemque consentientium auctoritas, seu testimonium certam, firmamque facit fidem. Nam Senecae illud verum est : „Omnes scilicet nemi„nem, nemo omnes, singuli singulos fallunt:" ecce autem tertii hujus canonis in Theologia usus: Petrum Roma et locasse sedem, et pro Christo martyrium subiisse, historiae omnes graves conscribunt; unde tanquam ex principio certo, ac firmo certam illam, firmamque conclusionem conficiunt, quod nempe Romanus Episcopus Petro Summo in Pontificatu succedat.

Ut tamen verae à falsis historiae distinguantur, à Theologo consulendae sunt Criticae artis regulae, de quibus ad hanc usque diem innumeri prodierunt tractatus, à quibus recensendis hoc in Loco supersedimus, sicut et in aliis praecedentibus silentio praetermissimus ferè universa, quae theses non constituunt : non enim haec institutionum, sed controversiarum more debuerunt pertractari. Atque ita praecipua ca-

pita sunt assignata, quae propugnanda putavimus. Sed ne fastidium lectoribus inferamus, operi finem imponimus : admonentes, quod si quid exciderit emmendatione indigum; universa Sanctae Romanae Ecclesiae, sapientumque judicio subjicimus libentissimè.